

Peter Hinckelmann Johannes Cuselius

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Decima Quarta. Continens praecipuos  
Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in articulo De Sacramentis  
In Genere**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756811333>

Druck Freier  Zugang



P. Hinkelmann.

R.M. theol. 1607. 8.

- Contantus
- ① Joh. Lutschius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchovicius, de arbitrio hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Hieron. Tectorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordanus, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joann. Lutschius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchovicius, de sacr. confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Brunnus, de votis monachatu 1608
  - ⑬ Nic. Fridriccus, de adiphoris 1608
  - ⑭ Hieron. Hamerius, de oratione 1608
  - ⑮ Petri. Loft, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608

2. 2.  
DE PAPISMO  
DISPUTATIO ANASCEVASTICA  
DECIMA QVARTA.

*Continens præcipuos Romanae Synagoga erro-  
res refutatos, quos ea fovet in articulo*

De

SACRA-  
MENTIS IN  
GENERE,

*Reverenda facultatis Theologicae in Academia  
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore SS. Spiritu:  
Sub Praesidio

M. PETRI HINKELMANNI

*Verbi Divini ministri:*

ad privatam *consuetudinem* proposita

IOANNE CUSELIO

Lubec. Saxone.

*Horis locog, consuetis. 3. Cal. Ianuarij.*

ROSTOCHII,

Litteris Reusnerianis An. 1608.





DISPUTATIO XIV.

DE SACRAMENTIS IN  
GENERE,

Προλεγόμενα:

I:]



Vamquam simplex illa DE I omnipotentis, qui ipsissi-  
ma est veritas, promissio de semine benedicto, pro-  
toplastis in Paradyso facta, sine ulteriori explicatione  
& deductione, nobis sufficere debuisset: imò nostra  
ἀνάπλασις & reparatio, non minus quam πλάσις o-  
mnipotentis DE I virtute & ἀμέσως perfici potuisset:

Nihilominus tamen, quoniam, difficulter propter inharentem nobis  
vitiositatem credimus, homo etiam ratione & conditione terrena in-  
habitationis nequaquam divinorum capax est, nisi mediante auxilio cor-  
poralium sensuum, visum fuit Domino, promissioni gratia certa qua-  
dam media in sensus oculos qf. incurrentia annectere; Verbum ni-  
mirum & Sacramenta, (a).

II. Quorum illud ad auditum pertinet, hoc verò visum potissimum  
concernit, per quod oculis quodammodo subijcitur id, quod per verbum  
ad aures hominum pervolavit, ut sic quod mens ex verbo percepit  
quodammodo sensibus per Sacramenta presentetur & exhibeatur. Un-  
de etiam ab Augustino (b) Sacramentum indigitatur Verbum visibi-  
le, & invisibilis gratia visibilis forma.

III. Verbo n. Deus invisibilem gratiam seu voluntatem suam, in sim-  
plici illa promissione primò propositam, per Prophetas & Apostolos suos  
alterius in terpretatus est & dilucidius expressit: Sacramentis vero

i. Cor. 3. 1.  
a) Gen. 17. 10  
Exod. 12. 3  
Matt. 23. 19

b) Augu. lib  
19. Cont.  
Fauft. Man.  
cap. 16. &  
lib. 2. de  
doct. Christ.  
cap. 1.

ceum Symbolis conferentibus, eandem nobis tanquam sub visibili forma obseignavit & confirmavit, atq; sic qf. manu homines in rerum cœlestium & spiritualium contemplationem & cognitionem ducens, eorum excitati & incredulitati potissimum consuluit.

IV. Nobis autem quoniam pro instituto nostro Pontificiorum errores examinare, & trutinâ verbi DEI pensitare est animus, perspicua, qua poterit, brevitate de posteriori nunc medio acturi, de ijs, qua ad Sacramenta in genere facere videbuntur, differemus, contortiosq; Pontificiorum nodos enodabimus.

V. Quod ut methodus usq; iudicatus fiat, placet totum hoc negotium in istac subsequencia duo capita resolvere. 1. De Numero Sacramentorum N. T. & de discrimine Sacramentorum V. & N. 2. De Efficacia & usu eorundem.

#### CAPUT PRIMUM.

##### Primus Error.

Conc. Trid.

sess. 7. can. 1.

Mag. sent.

lib. 4. dist. 2.

Synod. Pe-

trocoviensi.

c. 33.

Bellar. lib.

1. de Sac. in

genere cap.

13.

Septem sunt Sacramenta: Si quis dixerit N. Legis Sacramenta aut plura aut pauciora esse quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam unctionem, ordinem & Matrimonium: aut etiam aliquod horum non esse verè Sacramentum, Anathema sit.

#### REFUTATIO.

I. Hoc de numero Sacramentorum commentum, quod in N. T. nec plura nec pauciora sint quam septem, temporibus Hugonis & Petri Lombardi primùm percrebuit. Lombardus enim primò hunc numerum Septenarium posuisse legitur, sed cum aliàs in colligendis Patrum testimonijs admodum felix & diligens sit, omnino nulla de eo vetustatis testimonia, recitat. Tum etiam concilium nullum extat antiquius Florentino, ex quo hic numerus probari & sanciri possit. Vnde patet omnino alium huius numeri septenarij silentium apud vetustiores & probatiores auctores fuisse, quod probè notandum.

II. A Scholasticis v. Doctoribus primùm Septenarius Sacramentorum

rum

rum numerus in Ecclesiam inuectus est, sed quibus fundamentis & rationibus eundem probarint, aternâ dignum est memoriâ, ad totam posteritatem propagandâ.

III. Cum enim idoneis vel documentis ex scripturâ vel testimonijs ex verâ antiquitate destituantur, tam futiles & elumbes congestere probationes, (petitas vel ab hominum in Ecclesia diversitate, ex similitudine vita spiritualis & corporalis, ex numero peccatorum & vulnerum ac virtutum, & numeri septenarij celebritate &c.) ut jam vel earum ipsismet pudeat.

Bonav. lib.  
4. dist. 2. q. 1.  
3. Thom.  
part. 3. q. 65.  
Bellar. lib.  
2. de Sac. c.  
26.

IV. Johannes enim Ludovicus Virwaldus magnam copiam demonstrationum effudit. Convenienter inquit cœlestis medicus septem instituit sacramenta, quia septem sunt vulnera quibus infirmatur humanum genus, contra triplicem videlicet culpam & quadruplicem pœnam. Deinde, idè sunt septem sacramenta quia disponunt nos ad septem virtutes habendas. Nam Baptismus est Sacramentum fidei, confirmatio spei, Eucharistia Charitatis, pœnitentia justitiæ, extrema unctio perseverantiæ, ordo prudentiæ, Matrimonium temperantiæ. Alij alias attulerunt demonstrationes à 7. Sigillis libri (a), à septem tabis angelorum (b), à septem panibus quibus Christus sedavit famem turba (c), & id genus sexcenta alia.

In lib. qui  
inscribitur  
aureum o-  
pus de veri-  
tate contri-  
tionis fol.  
128.

a) Apoc. 5.  
1.  
b) Apoc. 8.  
2.  
c) Matth. 15.  
34.

V. Verum si ita more Pythagoræo à numerorum proportione argumentando progredi liceret, sequeretur vel unum esse Sacramentum, quia Unus est DEVS, Christus, Spiritus: vel duo, quia dua sunt tabulae Moysis, item due nature in Christo: vel tria, quia tres persone Trinitatis: vel quatuor, quia 4. Evangelista: vel 5, quia 5. libri Moysis: vel 6, quia 6 hydrie erant posite in Cana Galilææ: vel 7, quia 7. sunt artes; vel 8, quia 8 beatitudines; vel quatuor aut quinç, millia, quia tot homines Christus miraculosè pavit. &c.

VI. Nullius itaq; momenti & nimis infirmas has esse rationes, ad rem tantam probandam, nemo non videt. Quare cum nullo scripturæ testimonio, nullo antiquitatis orthodoxæ vestigio, quo Septenarius Sacramentorum propriè ita dictorum numerus stabiliri ac confirmari possit, ratio -



fit, rationes Scholasticorum nitantur, merito ut inanes & futiles eas  
reijcimus & damnamus.

VII. Generali quidem significatione vocis, tot dici posse Sacramen-  
ta non imus inficias, quot in V. & N. testamentis, rerum Sacrarum,  
vel in verbis vel in signis ac Ceremonijs occurrunt mysteria. Specia-  
li autem significatione & cum Ecclesia absolute & proprie loquendo,  
non nisi duo fuerunt in V. T. Sacramenta: Circumcisio videlicet  
ac P A S C H A, quorum primo, in N. T. Baptismus, alteri vero Coena  
Domini, successit. In his enim duobus Sacramentis expresse inveni-  
untur partes  $\epsilon\upsilon\sigma\alpha\tau\iota\mu\epsilon\tau\alpha$   $\kappa\alpha\iota$   $\epsilon\pi\omicron\upsilon\omega\delta\epsilon\iota\varsigma$ , quae ad substantiam Sacramenti  
pertinent.

VIII. Primò enim requiritur ad substantiam vel integritatem  
substantialem Sacramenti, Elementum seu res in oculos incurrens, quae  
certo externo ritu tractetur, prout peculiari verbo & expresso mādato,  
d) Matt. 28.  
19.  
Marc. 16.  
16.  
Ioh. 3.  
5.  
Matt. 26.  
26.  
IX. Illa v. papistica Sacramenta, non tantum Veteri Ecclesia &  
Patribus ignota, verum etiam partim elemento, partim promissione  
gratia, juxta illud Augustini: Accedat Verbum ad Elementum &  
fit Sacramentum. Hoc sensu tantum duo sunt sacramenta, Baptismus  
& coena Domini: nam hac duo habent primùm Elementa ab ipsa  
Christo expressa, deinde Verbum promissionis gratiae additum. (d)

IX. Illa v. papistica Sacramenta, non tantum Veteri Ecclesia &  
Patribus ignota, verum etiam partim elemento, partim promissione  
gratia, partim omnino omni verbo D E I carent.

X. Huic igitur commentitio septenario numero opponimus,  
Primò Scripturae testimonia, hoc  $\alpha\pi\omicron\delta\epsilon\kappa\tau\iota\mu\acute{o}$  Syllogismo inclusa: Quod-  
c) Matt. 28.  
19.  
Iohan. 3. 5.  
Matt. 26. 26.  
Marc. 14. 22.  
Luc. 22. 19.  
1. Cor. 11. 24.  
f) Rom. 4. 11.  
Gal. 3. 27.  
Tit. 3. 5. 1.  
Cor. 10. 16.  
cumq; ex institutione, mandato & promissione Christi (c), tum &  
definitione Apostolica (f), constat certo externo elemento & salutem ac  
iustitiam fidei obsignat, id proprie tantum nomen Sacramenti sortitur;  
At praeter illa duo vñgia sacramenta Baptismi & coena Domini, nul-  
lum commentitorum & adulterinorum Sacramentorum id prestare  
potest: E. in fumum & ventos ea abire necesse est.

XI. Deinde orthodoxam antiquitatem: quae non incommode ex  
Christi latere omnia N. T. Sacramenta fluxisse probare conatur.  
Quinq;

Quing, autem Iudæorum sacramenta nullo modo possunt ex Christi latere deduci. Tum & Clemens Romanus non nisi duo sacramenta numerat: (g) Justinus duo tantum commemorat (h). Deniq, Bessarion Cardinalis non est veritus confiteri, hac duo sola sacramenta in Evangelio manifeste tradita. (i)

XII. Deniq, hasce sequentes rationes. 1. Cuicung, rei competit definitio, eidem & competit definitum: At Baptismo & cæna Dominica definitio Sacramentorum vera & sola competit: E. & nomen & res definita, Sacramentum videlicet.

XIII. 2. Quot peccatorum genera, tot etiam sunt sacramenta: At duo sunt peccatorum genera: Originale & actuale, Originali Baptismus, Actuali vero Cæna Dominica succedit Sacramentum.

XIV. 3. Quicquid non recipit omnia requisita in sacramento necessaria, id non est verum Sacramentum. Sunt autem requisita hac. 1. ut habeat visibile aliquod Elementum. 2. verbum & mandatum DE I. 3. Promulgatum in N. T. 4. ut duret ad consummationem seculi. 5. ut habeat annexam promissionem gratiæ DE I, remissionis peccatorum. 6. qua Divina ordinatione annexa sit signo Sacramenti & eo qd. vestita. 7. Atq, virtute DE I exhibeatur, applicetur & obfignetur singulis, qui fide Sacramentis utuntur. Quing, Pontificiorum Sacramenta fictitia, de quibus ordine sententiam nostram explicabimus non recipiunt hac requisita omnia: E. non vera sed Iudæorum sunt Sacramenta.

XV. DE Confirmatione neq, est verbum instituentis Christi, neq, mandatum totam Ecclesiam obstringens aut, ad finem mundi durans. Affert quidem Bellarmus (k) nonnulla S. Scriptura testimonia (l), quibus conatur confirmationem illam Chismaticam frontalem colorare ac palliare, verum mare, quod dicitur, exurit & constitutam metam profus negligit.

XVI. Pœnitentiâ omnibus omnino Christianis est necessaria, sed quia (m) Elementum à Christo institutum non habet, desicit in definitione signi Sacramentalis. Dicta si qua habent pro stabilienda sententia, in disputatione examinari possunt.

g) Clem. lib. 1. recog. h) Iustin. in apolog. 2. i) Bessarion. de Sac. Eu charist.

k) de Sac. in gc. fol. 291. Item de Sac. Conf. fol. 143. 177. l) Act. 8. 17. Act. 19. 6. Ioh. 14. 16. c. 26. c. 15. c. 26. c. 16. 16. 15. Luc. 24. 49. Act. 1. 8. 2. 2. Cor. 1. 21.

17. Ex-

1. Ioh. 1.  
26.  
m) Matt. 3.  
9.

**XVII.** Extremam unctionem quod atinet qualis in Papatu usurpata, nullus de ea apex, nullum jota extat in S. S. Unxerunt quidem Apostoli agrotos sed ad sanationem corporalem, de tali unctione loquitur etiam Iacobus cap. 5. 15. & Mare, 6. 13.

**XVIII.** Ordo Sacer de presentia DEI in ministerio testificatur, sed caret Elemento, & promissionem de remissione peccatorum non habet annexam, potest enim DEVS per ministerium ordinati esse efficax, etiamsi persona non placeat.

n) Gen. 2.  
o) Ephes. 5.  
32.

**XIX.** Restat ut dicamus de ultimo eorum Sacramento videlicet de Matrimonio, quod etiamsi à DEO ordinatum & institutum, est (n), non tamen usq; pro Sacramento N. T. commendatum esse legimus. Ad hæc etiam nullum habet signum à DEO institutum, nec promissioni de peccatorum remissione confirmanda servit. Presidium autem illud quod ex loco Pauli (o) habere se putant, nullum est.

Quin etiam matrimonium ut & pœnitentia sub lege & ante legem fuit, ideoq; Sacramentum nova legis nominari non potest.

**XX.** Imò ipsi Pontificij merito omnium honorum odio sunt digni, vel unicam hæc ob causam & levitatem, quod matrimonium, nunc Sacramentum, alibi vero in decretis suis immundiciem, pollutionem & carnalem statum vocant.

**XXI.** Ex hisce omnibus quisq; sani ac liberi iudicij facillimè perspicere ac persentiscere potest, quam rectè ac orthodoxè Pontificij septenarium numerum Sacramentorum verè & propriè sic dictorum, tradant ac defendant.

### Secundus Error.

Conc. Flor.  
Thom. par.  
3. 62.

Sacramenta V. & N. T. inter se differunt in eo quod tantum adumbrarint salutem, hæc autem conferant & efficiant.

### REFUTATIO.

Lomb. lib.  
4. dist. 1.

**I.** Scholasticum illud dogma, quo tam longum inter V. & N. T. Sacramenta discrimen constituunt, omnemq; proinde Sacramentorum dignitatem e-

Bellar. lib. 2. de Sac. cap. 12. 13.

a) Ro. 4. 11.

b) Rom. 4. 11. Marc. 16. 16.

c) Ebr. 10. 1. Coloff. 2. 16. d) Ioh. 6. 31.

e) 1. Cor. 10. 16.

f) Gen. 17. 10. Matt. 28. 19. Exod. 12. 31. 1. Cor. 11. 2. 3. 26. g) Matt. 28. 18. Gal. 4. 24.

rem evertunt, dum ea tantum salutem adumbrasse perperam docent, penitus merito ex pomario Ecclesie explodendum est. Siquidem nihil splendidius de illis Apostolus, quam de his loquitur, quo ad effectum seu usum, cum discrete docet quod Abraham circumcisionem acceperit in signaculum iustitiae fidei. (a)

II. Ex hisce Apostoli verbis liquido satis constat, Sacramenta utriusq; Testamenti non sine usu, fructu aut efficacia differre, quasi eorum, quam hisce, non eadem fuerit *ἐνεργεια*, quamvis materia sive *ῥημα*, signandiq; seu conferendi perspicuitate longissime, Lex enim umbram tantum futurorum bonorum habebat, non ipsam imaginem rerum Ebr. 10. 1.

III. Conveniunt itaq; & differunt inter sese Sacramenta V. & N. legis. Conveniunt I. in posita ab Augustino Sacramentorum definitione, quatenus verbum & elementum utrobique requiritur. 2. Autore. 3. Numero, quia utrorumq; est binarius. 4. Fine, utraq; enim sunt signacula iustitiae (b) 5. Usu, nam ut utrobique sint salutaria, fides in utriusq; requiritur.

IV. Differunt autem inter sese. I. ratione *ῥηματος*, cuius V. T. habuit tantum *ῥημα*, Novum vero *ῥημα* & corpus ipsum (c). Manna enim & panis in deserto (d), sic sanguis taurorum & hircorum, ut & agnus Paschalis fuit umbra typus & figura corporis & sanguinis Christi; at panis & vinum *καὶ τῆς* Dominicae est ejusdem *κοινωνία* (e). Nos enim comedimus carnem Christi in *καὶ τῆς* praesentem; Patres vero in V. T. comederant eandem *καὶ ἐνεργειαν* & *τυπικῶς* absentem.

V. 2. Ceremoniarum diversitate (f) 3. Ecclesia statu & tempore, illa pertinent ad seculum legis & Iudeos; hac ad omnes gentes (g). 4. Excellentia; illa erant laboriosa, nostra vero actu faciliora. 5. Qualitate signandi; V. T. Sacramenta de Christo in carne venturo promissiones obsignabant; N. autem Testamenti Sacramenta, iam tunc in carne eum venisse & redemptionis humanae opus perfecisse testifi-

B

cantur.

eantur. 6. *Duratione*: illa usq; ad Messiam durare debebant, hæc ad finem usq; mundi.

**VI.** Ex hisce omnibus infallibiliter sequitur differentiam Sacramentorum utriusq; Testamenti non in fine, usu & effectu consistere, ut adversarij volunt, idem n. illi in suis olim in V. T. acceperunt, quod nobis hodiè in nostris exhibetur Sacramentis ratione Ægyptias. Quam enim nostra habent virtutem, eam quoq; in suis sentiebant, ut scilicet essent illis divina erga se benevolentia sigilla in spem æterna salutis.

#### CAPUT SECUNDUM.

##### Primus Error.

Sacramenta N. T. Conferunt gratiam & salutem ex

opere operato, sine bono motu utentis.

#### REFUTATIO.

Conc. Trid.

fess. 8. can.

6. 7. 8.

Gab. iel.

lib. 4. sent.

diff. 1. q. 3.

art. 2.

Minsing. su-

per 6. cap.

Ioh. m.

Bellar. lib. 1.

de Sac. c. 2.

**I.** Corypheus Jesuitarum Bellarminus multum quidem laborat, ut tetrum ac crassum hunc errorem partim tegat ac palliat, partim verò neget, dicendo: Sacramenta conferre gratiam ex opere operato idem esse quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis, à DEO ad hoc instituta, non ex merito agentis vel accipientis.

**II.** Verum fumum, quod dicitur, Bellarminus venditat, ipse enim statim subjungit opus operatum non solum excludere dignitatem ministrari, sed etiam fidem & motum internum, ab efficiencia gratia Sacramentalis. Et lib. 1. cap. 9. Affirmat Sacramentum etiam in his, qui cum animo perseverandi in peccatis accedunt verè significare, imo etiam efficere sanctificationem, quia ex se id significat & efficit. Item lib. 2. cap. 7. Sacramenta verè justificant, non excitando fidem more concionis, sed immediate efficiendo sanctitatem. Ex quibus luce meridiana clarius elucescit, Jesuitas cum scholasticis eundè fore errorem, & novis suis glossis & distinctionibus cauteriatam conscientiam prodere.

**III.** Est itaq; ut ex citatis modò locis patet, Romanensium sententia: Gratiam in sacramentis veluti Emplastrum in picide & sanitatem in medicamento conclusam esse: Sicut enim medica-

men-

mentum pellit morbum siue id credat, qui morbo laborat, siue non credat, modo sumat, sic Sacramenta docent conferre gratiam ex opere operato, etiam sine fide & bono motu voluntatis nostrae, modo nullum peccati mortalis obicem ponamus. Quae quidem sententia dici non potest, quam sit exitialis & pestilens imo plane diabolica.

IV. Dum enim iustitiam citra fidem pollicetur, anima in exitium precipites agit, Deinde quia iustitia causam efficientem & meritoriam à sacramentorum nuda & sola actione ducit, miseris hominum mentes, in terram suapte sponte plus justo inclinatas, hac superstitione imbuunt, ut in spectaculo & tractatione theatrae rei corpore potius, quam in Christo ipso acquiescant.

V. Sacramentum itaq; sine fide sumptum, nihil est nisi Ecclesiae exitium, nam cum nihil inde extra promissionem sit expectandum, promissio autem non minus iram incredulis minetur quam fidelibus gratiam afferat, fallitur & fallit qui plus aliqua per Sacramenta ex opere operato sibi conferri putat, quam quod institutione Christi oblatum, vera fide percipiat.

VI. Fides namq; ad salutarem sacramenti usum omnino pertinet, illa enim efficit, non quidem ut existant, sed ut salutaria nobis sint Sacramenta, pendet enim à virtute institutionis divinae integritas, sed ab hominum fide Sacramenti utilitas. Hinc regula illa usitata: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat.

VII. Coronidis deniq; loco huic Pontificio commento oppono syllogismum. Tali modo similis, ratione sacramenta prosunt qua verbum, in ambobus enim proponitur promissio gratiae: At verbum siue praedicationis non prodest nisi fide accepta: E.

#### Secundus Error.

Externis Sacramentorum Elementis per verbum vis quaedam supernaturalis confertur, quae eis etiam inest extra Sacramentorum usum. Item: Ad veritatem Sacramenti necessaria est intentio ministri.

## REFUTATIO.

I. Ad prius hoc scholasticorum figmentum, quando vi actionis sacramentalis, omnibus utentibus gratiam justificationis conferri afferunt, ipsaq; verba sacramentalia à ministro pronuntiata practica faciunt, in quibus videlicet sit vis operativa, eliciens virtutem absolute inhaerentem, ex Augustana nostra confess. Artic. 8. respondemus: Soli Deo vim & Efficaciam tantum ascribi debere, & ita utendum Sacramentis ut fides accedat, qua credat promissionibus qua per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

II. Quemadmodum enim virtus divina per Sacramenta esse efficax, ita sacramenta ex virtute divina sunt salutaria credentibus, & adeo quidem, ut nulla unquam virtus ad eos ex sacramentis redeat, nisi Deus ipse virtutem suam per Sacramenta exercent & largiatur. Externa enim Elementa sine interna Spiritus Sancti operatione nullam habent efficaciam, nullum fructum, nullam operationem, ut Megalander Lutherus multis in locis utiliter monet.

III. Ex his autem, quando Elementis nullam per se ex verbis institutionis pronuntiatis vim & efficaciam tribuimus, non consequitur quod possint omitti, vel quod prorsus pronuntiatio eorum sit supervacua. 1. enim de Baptismo habemus expressum testimonium & mandatum (a), sic etiam de Cæna Domini judicandum, in qua faciendum quod Christus præcepit: Hoc facite, non enim tantum ad actionem ejus refertur, quod Accepit panem fregit & dedit, sed etiam quod benedixit & dixit sive locutus est.

a) Matt. 28.  
19.

Eph. 5. 26.

IV. 2. Quia illa verba sunt propria Sacramentorum, quibus Christus ea instituit perfecit & administravit. Omnis verò his verbis institutionis, Sacramenta non sunt, neq; pro Sacramentis haberi possunt. Et hoc sensu Orthodoxo, ministerio Sacramentorum neq; nimium neq; parum tribuitur, sed tantum quantum par est eis ascribitur efficacia, quoa soli DEO debetur; DEO relinquatur, nec tamen ministerium, Sacramentorum inefficacia seu efficacia spoliatur.

V. De intentione ministri ejusve pietate vel impietate quem a-

lunt er-

lune errorem, is omnem plane evertit certitudinem fidei simul & salutis, quam alias DEVS per hæc organa benigne operatur.

VI. Baptismum enim quod attinet, si hujus substantia veritas & integritas à cogitatione, intentione fidei &c. ministri penderet, illa autem intentio mihi non esset perspecta (potest enim minister esse hypocrita) semper mihi esset dubitandum de Baptismo cum periculo longè salutis maximo. Idem de Cæna Domini sentiendum.

VII. Substantia igitur Sacramentorum non à cogitatione ministri, nisi vel illo unico Exemplo Exod. 4. de Zephora videre licet, sed à cogitatione, institutione & voluntate Dei pender. Vnde Nazianzenus verè dixit, sicut eadem apparet in cera figura, sive aureo sive ferreo annulo facta sit, sic sacramenta ministrorum vel pietate vel impietate non mutantur. Et Augustinus inquit: Baptismo nihil officere, cuiusq; vel dantis, vel accipientis errorem aut vitium, cum talis sit, qualis ille in cuius potestate, non qualis ille per cuius ministerium detur. Contra Do-  
natist. Tract  
6. in Iohan.

VIII. Præterea si intentio ministri ad formam & substantiam sacramenti faceret, eadem etiam in prædicatione verbi spectanda foret, quod absurdum, & non solum omni fundamento scripturæ caret, sed eidem etiam adversatur. Incredulitas enim hominum, veritatem & fidem Dei inanem reddere non potest (b). Concludimus igitur b(Rom. 3.7) virtutem & Efficaciam Sacramenti à solius Dei veracis institutione & promissione in solidum pendere.

### Tertius Error.

Baptismus Iohannis non fuit Baptismus, quia defecit formâ, quæ est essentialis Sacramento, & ideo non præstabat gratiam ex opere operato, & per consequens non sufficit ut Sacramentum ad salutem. Thom. dist.  
2. q. 2.

### REFUTATIO.

I. Quam turpiter hoc quoque, in loco Pontificij, eorumq; affectu sese dent, ubi Iohannis Baptismum, nihil nisi nudam ceremoniam fuisse impie & falso asseverant, ipsorumq; Iohannem balneari similem, qui



multorum corpora ablueret, fingunt, ex sequentibus tum Sacrae scri-  
pturae testimonijs, tum rationibus videbimus.

II. Primò enim Baptismus Iohannis auctoritate & mandato DEI  
non caruit. factum enim est verbum Domini super Iohannem  
a) Luc. 3. 2. (a) & misit eum baptizare in aqua, ut de seipso Iohannes testatur (b).  
b) Ioh. 1. 33.  
c) Luc. 7. 29.

Vnde Pharisei & Legisperiti spernentes baptismum eius, consilium  
DEI aduersus semetipsos sprevisse dicuntur, nõ baptizati à Iohanne (c).  
Idem & Pontificij, Baptismum Iohannis sua virtute spoliantes, sibi  
dictum sciant, se non Iohannem sed DEI consilium auctoritatem &  
mandatum rejicere.

III. Deinde etsi in Evangelijs non expresse ponatur, quod vel nostrã,  
vel aliquã aliã Iohannes Baptista usus sit formã, tamen certum & ma-  
nifestum est, ipsius baptisma non fuisse nudam quandam ceremoniam,  
sed eum omnino certam quandam usurpasse formulam in baptizandis  
hominibus. Baptismus enim Iohannis in Dei nomine fuit peractus,  
qui cum sit unus in essentia & Trinus in personis, patet Iohannem in  
Nomine S. S. Trinitatis baptizasse.

IV. Deniq; & hoc extra omnem dubitationis aleam est positum:  
Baptismus Iohannis doctrine ipsius congruum & similem fuisse.  
Docuit autem veram pœnitentiam, veramq; peccatorum remissionem  
proposuit. E. huius Baptismus in vera pœnitentia susceptus, remissio-  
ne peccatorum minimè caruit. Evangelista enim Lucas ait (d).

d) Luc. 3. v. 3.  
e) Act. 2. 38. Venit predicans Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum.  
Atqui hoc idem est quod Petrus de Baptismo Christi ait (e): Baptize-  
tur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.

V. Eundem igitur baptismum Iohannis cum eo, quem Christus ad-  
ministrandum ceteris discipulis suis mandavit, fuisse sequitur, id  
quod & sequentes evincunt rationes.

f) Eph. 4. 5. VI. 1. Non nisi unus est N. T. Baptismus (f). At Iohannis certe

g) Matt. 21. Baptismus erat N. T. E. Deinde: Eundem è cælo fuisse, non obscure  
Christus ostendit (g). 3. Quia Christus ipse & Apostoli non alio, quam  
Iohannis

Iohannis Baptismo baptizati fuerunt, id quod de Christo aperte legitur <sup>(h)</sup>.  
De Apostolis vero inde patet, quia quidam illorum antequam à <sup>h) Matt. 3.3.</sup>  
Christo vocati essent, discipuli Iohannis fuerunt, utpote Andreas,  
Petrus, Philippus <sup>(i)</sup>. 4. Quia Christus antequam baptizaret per A- <sup>i) Ioh. 1. 40.</sup>  
postolos de Iohannis Baptismo ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua <sup>43.</sup>  
& spiritu non potest ingredi regnum Caelorum <sup>(k)</sup>.

VII. Ratione igitur forma, substantia, & efficacia, qua est remissio <sup>k) Ioh. 3. 5.</sup>  
peccatorum, regeneratio & renovatio, nullum statucndū est discrimen  
inter baptismum Iohannis & reliquorum Apostolorum. Interim tamen  
variat circumstantiā temporis, quod ministerium Baptismi Iohannis,  
passionem & mortem filij DE I antecessit: Baptismus vero quem Chri-  
stus per Apostolos toto orbe dispensandum mandavit, completum illud  
salvatoris munus sequitur: nec tamen hac circumstantia quicquam  
vel in substantia vel in fructu facit discriminis.

VIII. Valeat ergo cum omnibus suis figmentis & fallacijs rafa Mo-  
nachorum Cohors, quibus totum orbem miris varijsq; modis turbat ac  
fallit: Nos qua possumus animi devotione petimus, ut si ulla ratio-  
ne hi blasphemi adversarij correctionis sint capaces, oculos ipsis DEVS  
aperiat, quo lucem veritatis agnoscant & nobiscum in aeterna bea-  
titudinis gremium comportentur: sin vero minus, ab Ecclesia Christi  
cum suis somnijs longissime arceantur. Faxit hoc DEVS T. O. M.

cui soli vero Deo Sit honos & gloria,

Men.



*Amico ac Fautori Charissimo*


DN. IOANNI CUSELIO.


UT VIGOR irritat virtutem haud degener, altis  
cuiq; animis; aut obtusis expectorat atræ  
contrâ IMBELLIA; sic ILLUSTRÉS grandibus orsis  
aut VILES, apinis nugisq; lubescimus ultrò  
vilis secla hominum. Hic lentis se dedicat otis  
Hic ne pigretur sepelibilia obsolet inter  
somnia, plorandi (damnosâ clade) silenti.  
Ast Mens è meliore luto, Mens ignea, dio  
impete, ad insuetæ promergens compita laudis,  
ad que peremne Decus, longè molimina tentat,  
ac Nugas à se vulgi sprevisse minutas;  
IANE velut tui is Ingenij prænobilis ardor  
squalida pertoesus stultæ molimina plebis  
præpete Theulogicos nisu penetrare recessus  
sedulò havet: Res hinc obstrusas adripis ultrò  
perplexasq; apinas PAPÆ papantis, & omne  
quidquid tricarum est rettexis, quo ille misellos  
Christigenas intexit, ubi frudabat IOVÆ  
SACRAMENTA suo ludens Logodædalus ausu.

At te felicem mentis, fortemq; laboris  
quem juvat his niti tam præcellentibus orsis  
possis ut infectas terrâ excindere pestes.  
Scilicet iste animi consultus nobilioris,  
quo curæ nomenq; tuum, non murcida quiquam  
proporrò norint oblivia, quo magè posthinc  
de grege Christiadam, CUSELI, merebere, quam qui  
aut armis quondam Romam vel morte cadentes  
servarunt Decij, Curij, Fabij, atq; Camilli.

*Adponebam raptim*

*M. Petrus G. F. Laurenbergius.*





lunt errorem, is omnem plane evertit certitudinem  
luti, quam alias DEVS per hac organa benigne opera  
VI. Baptismum enim quod attinet, si huius substa  
integritas à cogitatione, intentione fide & ministri  
rem intentio mihi non esset perspecta ( potest enim m  
irrita ) semper mihi esset dubitandum de Baptismo ca  
salutis maximo. Idem de Cæna Domini sentiendum.

VII. Substantia igitur Sacramentorum non à cogi  
ati vel illo unico Exemplo Exod. 4. de Zephora vider  
gitatione, institutione & voluntate Dei pendet. Vna  
verè dixit, sicut eadem apparet in cera figura, sive  
annulo facta sit, sic sacramenta ministrorum vel pietati  
non mutantur. Et Augustinus inquit: Baptismo nihil  
vel dantis, vel accipientis errorem aut vitium, cui  
ille in cuius potestate, non qualis ille per cuius ministri

VIII. Præterea si intentio ministri ad formam  
sacramenti faceret, eadem etiam in prædicatione ve  
ret, quod absurdum, & non solum omni fundamentum  
sed eidem etiam adversatur. Incredulitas enim hor  
tem & fidem Dei inanem reddere non potest (b). Con  
virtutem & Efficaciam Sacramenti à solius Dei ver  
& promissione in solidum pendere.

### Tertius Error.

Baptismus Iohannis non fuit Baptismus  
formâ, quæ est essentialis Sacramento, &  
stabat gratiam ex opere operato, & per con  
cir ut Sacramentum ad salutem.

### REFUTATIO.

I. Quam turpiter hoc quoque in loco Pontificij, eor  
dent, ubi Iohannis Baptismum, nihil nisi nudam c  
impie & falso asseverant, ipsumque Iohannem balneat

B



sa-  
&  
u-  
oo-  
ge  
ri,  
co-  
nus  
reo  
ate  
sg,  
his  
6. in Iohan.

am  
fo-  
et,  
a-  
ur b(Rom.3.7  
ne  
cit Thom. diff.  
æ- 2. q. 2.  
fe-

fese  
nisse  
qui  
ho-